



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Dif. 5. Qualia sint defacto hæc motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

OBJICIT Tertiò. Potest DEUS alicui revelare suam prædestinationem, hæc revelatio non potest consistere in locutione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, sed debet consistere in signis, quæ quidem hic & nunc debent credi esse locutio Dei, sed debent consistere in signis, quæ quidem hic & nunc debent credi esse locutio Dei, absolute tamen possent existere, quin essent locutio Dei. Ergo potest dari actus fidei, quo homo suam prædestinationem crederet, cujus motivum formale esset locutio passiva, non essentialiter talis. Minor probatur. Si revelatio illa esset essentialiter Divina, non posset homo illi discredendo aut nolendo credere, peccare mortaliter, sed debet posse non credendo peccare mortaliter; quia agnoscit obligationem credendi. Ergo. Major probatur. Si enim posset peccare, nolendo credere, tale peccatum per suum essentialiter prædicatum, penderet ab illa Revelatione. Ergo esset peccatum mortale essentialiter impunitum pena æternâ, aliâs falsificaretur Revelatio Divina.

RESPONDETUR. In nostris principiis hoc non habet difficultatem; quia in nostris principiis Revelatio passiva; non est motivum formale fidei. Sed quidquid sit de hoc. Quamvis locutio passiva non sit essentialiter talis, quia tamen est inductiva evidentiæ morali, quod sit locutio Divina passiva, vi illius evidentiæ fundabit imperium voluntatis, quod excludet omnem formidinem, adeoque jam non stabit illa, cum actu fidei. Cui ipsi revelationi, posset homo discredere, sed illa discreditiō auferret jam ab illo actum fidei, adeoque cum actu fidei non staret; illeque homo posset quidem discredere illi revelationi; sed stante actu fidei, non est discrediturus, licet posset discredere; sicut posset aliquis resistere gratiæ efficaci, non est tamen restitutus: si non est discrediturus, non erit essentialiter impunitum illud peccatum. Possetque illa revelatio falsificari, cum non auferat libertatem, licet non sit falsificanda. Quamquam rigore loquendo, non debet dici quod posset falsificari, sum enim non revelarit illum non posse damnari, sed tantum non esse damnandum, illo posse peccare, non evadit potens falsificari illa revelatio, cum non dixerit revelatio, non posse sibi discredi liberè, licet revelet non esse sibi discredendum. Est præ oculis habenda instantia, quomodo gratia efficax, prædestinatio, scientia visionis, & conditionata, de actibus nostris liberis, falsificari possit.

INSTAT. Tridentinum Sess. 6. cap. 13. instituit, debere nos habere firmissimam spem in auxilio Dei; & tamen addit. *Formidare debent.*

RESPONDETUR. Firmitas spei ex modo tendendi potentia volitiva circa tale objectum, non excludit formidinem, unde nec tribuitur illi certitudo, ut actibus intellectus, nisi figurata;

nec habentur motiva credibilitatis, inductiva evidentiæ morali, quod aliquis sit prædestinatus, licet si hoc sibi esset revelatum, non deberet formidare, cum formidinem illam exigat Tridentinum, ob defectum revelationis, quod aliquis sit prædestinatus, quod alicui sint dimissa peccata, &c. Et quia modus tendendi intellectus involvit certitudinem, adfuntque motiva credibilitatis & revelatio: hoc ipso debet excludi formido.

Punctum Difficultatis.

Qualia sint defacto hæc motiva?

QUÆRES. An fideles defacto habeant moralem evidentiā de rebus nostræ fidei? Affirmat Gran. hic tr. 2. d. 4. n. 4. Negat autem Lugo disp. II. S. 1. à n. 39.

ASSERO Primo. *Habere.*

RATIO. Quia habetur evidentiā motivorum credibilitatis ut probatum supra. Ergo habetur evidentiā de rebus nostræ fidei, & de Divina revelatione; ad hoc enim præstandum ordinatur motiva credibilitatis. Tum quia si non haberent fideles defacto moralem evidentiā, non haberent ullum fundamentum imperandi sibi assensum certissimum. Tum quia tota ratio Lugonis in oppositum stat in hoc, quod non habeatur evidentiā de rebus fidei tanta, quanta v.g. de existentia Indiarum; ex hoc autem non potest inferri, quod intulit num. 41. nempe defacto non haberi moralem evidentiā de rebus nostræ fidei: quia hoc est argumentari, quasi à negatione qualitatis, quæ argumentatio non tenet.

ASSERO Secundò. *Ex parte subjecti non haberi tantam in aliquibus evidentiā, quanta v.g. de existentia Indiarum.*

RATIO. Est ipsa experientia. Et quia termini ipsi suadentes evidentiā existentia Indiarum, facilius movent & trahunt, quàm termini, quod hoc Deus dixerit.

ASSERO Tertiò. *Ex parte objecti majorem evidentiā haberi de revelatione facta, quàm v.g. de existentia Indiarum.*

RATIO. Quia id genus testimonii quonitur existentia Indiarum, non est comparandum miraculis Martyris & aliis.

DICES Primò cum Lug. Experientiā constat facilius posse aliquem, imprudenter si velit, dubitare de rebus fidei, quàm de existentia regionis Indiæ, cum plures sint, qui de facto à fide simul deficiunt; nemo autem negat existentiam Indiarum.

RESPONDETUR. Excessum evidentiæ ex hoc præcisè capite taxari non debere, quod minus negari possit etiam imprudenter: quia aliàs sequeretur evidentiā de existentia Indiarum, majore

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tom. I. Z.
D. VI

maiores esse evidentiâ principii etiam lumine naturæ noti: nam rudes negant illa interdum, ex non penetratis terminis: negantque v. g. Totum esse majus sua parte, si comparent caudam gliris, cum residuo ejus corpore. Illa ergo convictio, si quæ major est, tenet se à parte subjecti; quam non negamus; nec tamen inde sequitur majorem esse evidentiâ moralem Indiarum, quas præsumitur neminem negare; licet fortè dentur rudes qui illas negent, quousque v. g. apprehendunt debere illos cadere ad cælum, si nobis oppositi pedibus ambulant. Rursus in præsentī condistinguenda sunt duo. Primò. Evidentiâ motivorum credibilitatis. Secundò. Applicatio istius evidentiæ ad hoc in particulari Mysterium fidei; Isti præcipuè Hæretici, qui post fidem semel susceptam negant eandem; non negant esse evidentiâ motiva credibilitatis, nec negant fidem Christianam miraculis v. g. & Martyrio crevisse; sed tantum negant illa huic in particulari applicari posse: quæ illorum negatio augeatur obscuritate revelationis, augeatur passione, & depravato animo qualis passio non movet ad negandas Indias; præcipuè autem cum sub sensum cadere possit; An sint Indiæ, volenti illud pergere; non cadunt autem sub sensum prædicta Martyria vel miracula; hinc ex parte subjecti, citius negari possunt motiva credibilitatis, quàm Indiæ, non ex parte objecti.

DICES Secundò Cum eodem. Quantumvis fideles, dum fideles sunt, parati sint ad negandum potiùs Indias quàm fidem; hoc tamen provenit ex pia affectione & imperio voluntatis, captivantis intellectum in obsequium fidei, quo imperio cessante, intellectus sibi relictus, faciliùs posset dubitare de rebus fidei, quàm de existentia Indiarum.

RESPONDERI potest ex dictis. Quod hic agatur præcisè de solis motivis credibilitatis & eorum evidentiâ, ad quod non indigemus piâ affectione; sed hæc sequitur post assensum evidentiæ motivorum, & requiritur non nisi ad iudicium de objecto fidei. Sed quidquid sit de hoc. Negamus quòd secundum exigentiam meritorum objecti, quod est evidentiâ motivorum credibilitatis, non debeat esse homo paratus potiùs discredere Indiis, quàm non assentiri illis motivis; licet oppositum contingat ex aliquo accidendi.

DICES Tertiò. Quamvis major evidentiâ de Indiis habeatur, quàm de rebus fidei, hoc tamen non oritur ex eo, quòd fundamenta nostræ fidei minora sint: sunt enim multò majora, scilicet veracitas & testificatio Divina. Sed ex eo, quòd minùs clarè nobis proponantur, quàm fundamenta ad credendum existentiam Indiæ.

RESPONDETUR. Hoc argumentum confundere evidentiâ motivorum credibilitatis, assensumque illis cum assensu fidei: nam assensus

motivorum credibilitatis, non innititur veracitati Divinæ & testimonio; probasse autem debuerat, magis convictivæ esse rationes, quæ suadent existentiam Indiarum, quàm sint rationes, quæ suadent motiva credibilitatis esse evidentiâ. Asserta autem procedunt de assensu ob evidentiâ motivorum credibilitatis, illismet ipsis præbito, quamvis relatè ad revelationem: non verò de assensu præbito ipsi revelationi. Interest autem hoc inter assensum de existentia Indiæ, & inter assensum de revelatione, quod idem omnino motivum, quod est mihi evidens, & sit motivum assentiendi existentia Indiarum, & sit motivum assensus exhibendi, ipsi illi evidentiæ. Jam autem in assensu fidei motivum assentiendi non est illud quod est nobis evidens: nempe motiva credibilitatis; sed dictio Dei in evidens. Hinc fit ut comparando duos illos processus assentiendi Indiis scilicet & objecto fidei, semper assensus objecto fidei, tandem definit in obscuritatem, non verò assensus Indiarum: præsumpta enim evidentiâ physica & ocularis, quam unusquisque potest habere de existentia Indiarum habentque illam tot alii, communicant evidentiâ assensui, de existentia Indiarum.

DIFFICULTAS II.

De ipsis motivis credibilitatis.

CONSULE de hac materia Tannerum, & ante illum Valent. hic q. 1. p. 4. brevius habet Lugo d. 5. S. 4. Amicus d. 3. S. 2. Pont. d. 28. n. 40. sed diffusissimè & enodatè Bosius, de signis Ecclesiæ. Perfringo aliquo.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur hæc motiva.

I. INcredibile est quòd DEUS ita sit suæ gloriæ incurius, & tantus desertor animarum, quin habeat saltem aliquam collectionem hominum rectè de Deo sentientium, & rectè de illo docentium, quæ non alia est nisi Christiana; perpende enim varia absurda in institutis, moribus, qualitatibus, Ethnicismi, Mahometanismi, Hæreticismi; de quorum ultimè hoc addi potest ostendendo solam Ecclesiam Catholicam esse classem rectè de Deo sentientium, & docentium. Cum constet per Evangelium fidem Christi non defecturam fuisse; antequam Hæresiarum primi inciperent, quod regnum, quem Episcopatum, suæ professionis, præfuisse ostendere potuerunt: quod norat novam illos fidem adeoque non Christi induxisse; nec possunt provocare ad occultè credentes: qui enim illi præfuerunt Hæresiarum, & non primum ab illis